





1. van Baskhuysen J. Henr: Jac: / Diff.
de observationum Sacrarum Signi-
tate, Leveste, 1722.
2. Baumgarten J. Sigism: Jac: /
Zuschrift an Frau Ziforin, 1743.
3. Büsching J. Ant. Fried: / Gedanken
von der mehrbündigen göttlichen
Vorsehung in besändigem auf-
stellung göttlicher Männer
zur Erweiterung der feygen
Halle 1748.
4. Introdectio Historico-
theologica in Epistolam Pauli
ad Philippenses, Halle, 1746

5. Chladenius / Joh. Mart. / De
Stilo s. Scripture in Historia
Creationis, Coburgi, 1744
6. Chrysander / Mart. Christoph
Gerhard. / gratulatio zu
seiner Einweihung des
gerode, 1752.
7. Fritschy / Ahas. / parenesis
ad omnes Christianos, Halle
1698.
8. Gerhard / Joh. / commentatio
de tribus in Caelo testibus
jena, 1721.
9. Melanthonis / phil. / Sententia
sanctorum Patrum de Coena
Domini, Heidelbergae, 1584.
10. Milde / Heinr. / Schreiben an
seiner Comilitonen, Halle, 1735.
11. Reinhard / Laur. / Grundriß
der Systematischen Theologie
der patriarchen, Weimar, 1737.

12. Schmidt s. Joh. Andr. / programma
ma de varijs modis "Contro"
versias vel tollendi vel mi-
nuendi, Helmstady, 1701
13. Sinceri Meditationes de Origine
Existentiæ Dei et Origine Mali,
Hale, 1724.
14. Wideburg s. Chr. tob. / programma
de Sacrificio Novi Testamenti
propitiatorio, Helmstady, 1701.
15. Specimen Meditationum Sacrarum
in Evangelia Dominicalia
Berolini, 1701.
16. Examen Catecheticum quo tria
Symbola oconomica explican-
tur.
17. Summa Doctrinae Christianæ
Hale, 1730.
18. Penther s. Abrahami / dispo-
sitiõ Lex Conscientium, 1783

19. Gedanken, ob ein ^{Yndianer} ~~als~~ ^{mit} ~~ein~~ ^{Lehrer}
für die Gusp ~~als~~ ^{mit} ~~ein~~ ^{Lehrer}
noch für anzunehmen ~~ist~~
künden. 1726.

20. Anmerkung über die Gräber
von Trautson ⁱⁿ ~~der~~ ^{der} ~~Gräber~~
Freudenthal, 1752.

21. Anhang zu dem Kirchenbrief 1752.



AB 153 139



18
Sequitur

DISPOSITIO

ΣΥΝΟΠΤΙΚΗ, HARVM SEX
CONCIONVM, VNA CVM

*resolutione textus ad syllogismorum
formas accommodata.*

Item:

ΣΥΝΟΨΙΣ ΔΙΑΛΟΓΙΣΜΩΝ

PRIMI CAPITIS PRO-
PHETIÆ IEREMIAE, VSVM PRÆ-
CEPTORVM, TAM DIALE-

ctiorum, quàm Rhetoricorum,
oculis subiiciens.



M. ABRAHAMI BEVTHERI,
Rectoris Scholæ Mariæ
bergensis.

M

REVERENDO
ET DOCTISSIMO VIRO,
Dn. M. GREGORIO STRIGENICIO,
AVLICO ILLVSTRIS. SAXONIÆ
DD. Vinarix concionatori fidelissimo,
amico ac fautori suo cum primis
obseruando.



*C*ircumferebantur, Reuerende ac Doctissime Dn. Magister Gregori, amice singularis, nostrates apud discipulos, quas pro felici Vinariensi in aula, introitu ac inuestitura, conciones. Et eius quidem rei causa erat Reuerendus Dn. pastor noster, qui à discipulis nostris, vt eas sibi describerent, requirebat. Ego verò viso plurimos in illo desudare opere, auiditateq; comparandorum sibi quoq; ipsis earundem exemplarium detineri, meum esse duxi, non tam ad præstantis viri auctoritatem aliquid addere, quàm discipulos Theologicum circa studium occupatos, extimulare, vt consimiliter data occasione temporeq;, suas aliquando conciones, textui quàm proximè correspondentes, concinnè effigiarent, Proinde tuam in messem falcem meam mittere, illisq; tuis concionibus dispositionem addere, argumentaq;, quanto modò potuit fieri studio, ad textus ordinem accommodare, prorsus non sum veritus. Sed illo te labore nequaquam defraudandum censui, eum & tuis ex concionibus
bus

bus fuerit formatus, & à pueris meis ad calcem earundem
asscriptus. Cæterum, caput illud Ieremiæ prophætæ integrum,
quemadmodum ex inserto hisce literis videbis exemplari, in
breuem $\alpha\lambda\omega\sigma\tau\iota\mu$ contrahere, perq; argumentorũ locos deducere
sum conatus: qua dexteritate, literis doctrinaq; me tum politio-
res, tum elegantiores iudicent. Quod (tibi modò non displiceat)
in perpetuum amoris, candoris ac beneuolentiæ erga te meæ
pignus, filiolo tuo GREGORIO inscriptum, typis excusum
dare decreui. Tu quòd tuum ad amissim reuocare laborem,
eundemq; ad viuum resecare fuerim ausus, mihi pro tuo tibi
innato inq; fronte apparenti candore ignosces, atq; ideo me vt
postremis saltem tuorum annumeres, & oblata tandem occa-
sione promouere non negligas, facies. Bene vale. Mariæber-
gæ, è meo phrontisterio, 15. Calen. Aprilis. Anno $\chi\epsilon\iota\sigma\gamma\omicron\upsilon\iota\alpha\epsilon$.
M. D. LXXXIII.

T. R.


obsequenter colens

Abraham Beuther.

M 2

PRÆ.

PRÆCLARAE
INDOLIS PVERO GRE-
GORIO, GREGORII AVLICI DV,
cum Saxoniae Vinariae Concionatoris,
Strigenicio filio.

ORPORIS ANIMÆQUE BO-
norum affluentiam. En Gregori carissime, in
perpetuum amiciciæ mihi cum Reuerendo
Dn. Parente tuo contractæ, *μνημόσυνορ*, tracta-
tionem capitis Ieremiæ Prophetæ primi *σωπτικῆρ*. Illo
præfatus Dn. Parens tuus, quemadmodum id ex con-
cionibus eius, super eodem habitis, satis est videre, ma-
ximopere fuit delectatus. Illo etiam tu delecteris oportet,
soboles modò auspiciis propagata felicibus, veræq̃
γνήσι esse, atq̃ parentem venerandum, singulari in
Deum pietate, virtutum ornamentis, doctrinæq̃ ele-
gantia, filius referre gestias, vt & parens te genuisse
lætetur, & in te repubescere videatur. Bene vale.
Marizbergæ è meo Phrontisterio, XV. Calend. April.
Anno *θεαυθρῶπρ* M. D. LXXXIII.

Abraham Beuther
Scholæ ibidem Rector.

σωπτικῆρ

RESOLUTIO SIVE

Faint, mostly illegible text in a medieval script, possibly Latin or German, arranged in columns. Some words are partially visible, such as 'Tunc', 'Ergo', and 'Quia'.

RESOLUTIO SIVE

RESOLUTIO SIVE

RESOLUTIO SIVE

70-11



DISPOSITIO VOCATIONIS IEREMIAE AD MINISTERIVM, IEREM. I. CAP. QVALITER IN CONCIONIBVS SEX VINARI

ENSI IN AVLA, A DR. M. GREGORIO STRIGENICIO AV- lico ibidem concionatore fuit tractata.

1. Partes sunt sex, quarum

- 1. Vocatio Ieremiae ad ministerium immediata. In qua pensitanda ueniunt duo. Vocationes illius uident
 - 1. Causa efficiens siue author, Verbum Iehouae, Filius Dei.
 - 2. Causa formalis: quae est ipsa inauguratio personae uocatae, ab autoritate uocantis, ac consistit in ipsius diuina.
 - 1. Omnis scientia: Noui te priusquam te formarem in utero.
 - 2. Praedestinatione: Sanctificaui te, priusquam exires de uulua.
 - 3. Electione ad munus extra ordinarium: Dedi te Propheetam gentibus.
- 2. Recusatio & excusatio Ieremiae peritioria, qua consternatus quasi uocationi illi
 - 1. Indignitatem opponit: Ah, Ah, Ah. Domine Iehoua.
 - 2. Rationes obijcit quatuor
 - 1. Pueritiam siue difficultatem: Puer ego sum.
 - 2. Imperitiam.
 - 3. Infacundiam siue impossibile: Ecce nescio loqui.
 - 4. Contentum ob aetatem.
- 3. Repetitio uocationis, qua
 - 1. Confutantur argumenta rationibus sex, ductis
 - 1. Ab honesto seu uoluntate diuina, omnia remouente impedimenta seu obstacula: Ibis quo te mittam, & loquere omnia quae mandauero.
 - 2. A potentia Dei in infirmis: Virtus mea in infirmis perficitur. 1. Cor. 12.
 - 3. A modo Iehouae in constituendo, confirmando ac promouendo ministerio peculiari.
 - 4. A tempore duraturae ipsius prouinciae seu prophetiae.
 - 5. A uerbi diuini autoritate. Psal 3. Ex ore infantium & lactentium preparasti laudem, ut destruas inimicum, &c.
 - 6. A consilio diuino, quod iuuenes animo magnos, corpore sanos, alijsq; donis excellentes, senibus tanquam *ωρασαντες* seu coadiutores in ministerij promotione coniungit.
 - 2. Confirmatur in sibi iniuncta prouincia subeunda, ab obsequio praestando uoluntati Iehouae ad
 - 1. Eundum quo mittatur.
 - 2. Loquendum quae praecipiantur.
- 4. Consolatio & promissio diuina adhibita & data Ieremiae, ut obfirmetur, & animosior reddatur, argumentis ductis a diuina
 - 1. Praesentia: Tecum sum.
 - 2. Auxilio: Eripiam te.
 - 3. Veritate & potentia: Dixi ego.
 - ne habeat q. obijciat ipsi, se metuere.
 - 1. Tyrannidem regum & populorum.
 - 2. Mandata & onera ipsorum duriora.
 - 3. Supplicia ad quae & rapti fuerunt antecessores ipsius.
- 5. Ordinatio Ieremiae ad ministerium facta immediatè per IEHOVAM.
 - 1. Benedicentem ipsi in legitima uocatione, suam manum mittendo.
 - 2. Sanctificantem os ipsius in cognitione rerum diuinarum, & functione operis prophetici, tangendo os ipsius.
 - 1. Gentes.
 - 2. Regna.
- 6. Inuestitura Ieremiae concionans
 - 1. Parochiam, *δ'ιοικησιον* & auditores, quales Ieremiae designati
 - 2. Officij eius obiectum: quod est concio
 - 1. Legis, in uerbis: Euellas, diruas, disperdas, demoliaris.
 - 2. Euangelij siue promissionis, in uocabulis: edifices, plantes.
 - 3. Causas cur Iehoua talibus, in specificandis officij Ieremiae partibus, utatur uerbis duas
 - 1. Impietas & securitas populi creberrimis iniurijs & reprehensionibus coercenda & emendanda.
 - 2. Perterrefactae audita legis concione conscientiae consolationibus erigenda.

Historie de Ieremiae ad ministerium uocatione.

2. Doctrinae totidem correspondentes qualibet parti ex ordine sui numeri, prima doctrina primae parti, secunda secunda, atq; ita deinceps. Est autem

- 1. Non sine legitima uocatione munera Ecclesiastica subeunda sunt.
- 2. Ministerium uerbi diuini, ut sanctissimum, ita difficultatibus refertissimum.
- 3. Deo uocanti minister uerbi diuini obediat: ideoq; non ad missum hominem, sed mittentem Iehouam in talibus officijs est respiciendum.
- 4. Praesentia & auxilium Dei, uerbi diuini concionatorum sunt solamina.
 - 1. Vocatione legitima.
 - 1. Publica declaratio noui doctoris.
 - 2. Signum rei ad cultum diuinum destinatae.
 - 3. Testimonium diuinae protectionis.
 - 4. Praedictio crucis.
 - 5. Signum futurae benedictionis in uocatione legitima.
 - 2. Ordinatione, quae fit manuum impositione, & quadem ob causas quinq; ut uidelicet sit
 - 1. Minister uerbi diuini, extra suae parochiae limites, concionibus suis neminem molestet, suis criminationibus, inuectiuis, & id genus alijs.

RESOLVTIO SIVE

ΑΝΑΛΥΣΙΣ ΤΕΧΤΥΣ ΗΥΙΥΣ,

*ad Syllogismorum formas ac-
commodata.*

I.

ARgumenta quibus vtitur Ieremias, pro personæ suæ indignitate, à remouendum à se munus propheticum.

I. Sumtum à Pueritia, seu difficili, sine indecoro.

PVER EGO SVM.

Pueri non subeant munera prophetica,

Ego Ieremias sum puer.

Ergo ego Ieremias non subeam munus propheticum.

Nam

Quod cuiq; difficile vel impossibile ferme est officium, illud non subeat.

Puero difficile vel impossibile ferme est munus propheticum.

Ergo, Puer, vt ego Ieremias, non subeat munus propheticum.

Vel:

Illam subire prouinciam, quæ suæ ætati impar est, est indecorum.

Munus propheticum est impar puerili ætati.

Ergo, munus propheticum si puer ego Ieremias subirem, esset indecorum.

Hoc argumentum secundum est & posterius, quod in excusationem Ieremias adhibet,

II. Ab

II. Ab imperitia siue inutili, cuius idem fundamentum est humana ratio.

Imperitis munus propheticum nõ demandetur.

Ego Ieremias sum imperitus.

Ergo, mihi Ieremiæ munus propheticum non demandetur.

Hoc argumentum textus ipse expressum non habet.

III. Ab infacundia seu impossibili. NESCIO LOQUI.

In cuius ore non sessitat diuina suadela, ille ad munus propheticum est indignus.

In meis labris diuina non sessitat suadela; Ecce Domine Iehoua, nescio loqui.

Ergo, ego ad munus propheticum sum indignus.

Hoc argumentum prius est, quo Ieremias se excusare nititur.

IIII. A contemptu ob puerilem ætatem, siue inhonesto.

Puerilis ætas muneribus præfecta contemnitur.

Ego Ieremias sum puer.

Ergo, ego Ieremias puer muneris propheticis præfectus contemnar.

Vel.

Puerum præficere muneris propheticis, est inhonestum.

Ego Ieremias sum puer.

Ergo, me Ieremiam subire munus propheticum, esset inhonestum.

Hoc argumentum, vt & secundum, aliunde assumptum est, & ex primo & tertio ratiocinatione quadam collectum.

His autem argumentis vtitur Ieremias, pro confirmatione

firmatione suæ propositionis, sibi videlicet munus
propheticum commendandum non esse.

II.

ARgumenta Iehouæ, Ieremiæ confutantia ratio-
nes, excusationis loco allatas,

*I. Ab inbonesto seu voluntate diuina, cui obediendum
citra omnem obstaculorum adhibitorum respectum: I B I S
QVO TE MITTAM, ET LOQVERE VNIVERSA QVAE
TIBI MANDAVERO.*

Voluntati Iehouæ, obstante licet pueritia, impe-
ritia, infacundia, obq̃ puerilem ætatem con-
temptu, est obtemperandum.

Ego, Ieremia, noui, sanctificauî, dedi te Prophe-
tam gentibus.

Ergo, Tu Ieremia obstante licet pueritia, imperi-
tia, infacundia, obq̃ puerilem ætatem con-
temptu, mihi obtemperabis. Et per conse-
quens, non recuses.

Inde.

Obtemperans Deo ibit ad omnia ad quæ à Ieho-
houa mittetur, & vniuersa quæ sibi manda-
buntur loquetur,

Tu Ieremia Deo obtemperabis.

Ergo, tu Ieremia ibis ad omnia, ad quæ à me Ie-
houa mitteris, & vniuersa quæ tibi mandabo
loquæris. Et per consequens, Non recuses.

II. A diuina potentia in infirmis.

Virtus mea, dicit Iehoua, in infirmitate perfici-
etur.

Tu Ieremia es infirmus.

Ergo, Virtus mea in te Ieremia perficietur, Et
per consequens, Non recuses.

Hoc

Hoc argumentum authoritatem habet 2. Corinth.
12. & amplificandi ac confirmandi gratia hinc adhibetur,
vt & sequentia quatuor, quæ simili modo in hoc textu
non habentur expressa.

*III. A modo qui Iehouæ peculiaris est in constituendo,
confirmando ac promouendo ministerio.*

Vilia sunt mundo quæ præciosa Deo.

Tu Ieremia vilis es mundo.

Ergo, tu Ieremia es preciosus mihi Iehouæ.

Vnde:

Preciosi mihi Iehouæ digni sunt munere pro-
phético.

Tu Ieremia es mihi Iehouæ preciosus.

Ergo, tu Ieremia dignus mihi videris munere
prophético.

Et per consequens non recuses illud.

*IIII. A temporis diuturnitate, qua Ieremias hoc mune-
re sit functurus.*

Puer de Iehouæ voluntate potest confenescere
in munere prophético.

Tu Ieremia es puer.

Ergo, tu Ieremia de mea Iehouæ voluntate pote-
ris confenescere in munere prophético. Et
per consequens non recuses illud.

V. A verbi Iehouæ authoritate. Psal. 8.

Ego Iehoua ex ore infantium & lactentium mihi
parabo laudem.

Tu Ieremia infans ac puer es.

Ergo, ego Iehoua ex ore tuo mihi parabo laudem.

H I N C.

Ego Iehoua parabo laudem per Prophetas, euel-
lendo, destruendo, disperdendo, dissipando,
& edificando, plantando.

Tu

Tu Ieremia mihi parabis laudem,
Ergo, tu Ieremia eris mihi Propheta, euellendo,
destruendo, disperdendo, dissipando, & difi-
cando, plantando. Et per consequens, illud
non recuses.

VI. A consilio diuino.

Ego Iehoua iuuenes soleo senioribus *παρῶν*,
vt promoueatur & propagetur Ecclesia mea,
adiungere.

Tu Ieremia iuuenis es.

Ergo, ego Iehoua te senioribus prophetis *παρῶν*
τῶν adiungam. Et per consequens mihi non
relucteris.

III.

ARgumenta confirmantia Ieremiam in officio,
sunt hæc:

I. Ab honesto, siue à voluntate Iehouæ ad eundum.

IBIS QVO TE MITTAM.

Ad Iehouæ voluntatem est eundum.

Ad Ieremiam est Iehouæ mittentis voluntas.

Ergo Ieremias eat, & sit propheta.

II. A possibili, siue voluntate Iehouæ ad loquendum:

LOQUERIS QUAE TIBI MANDAVERO.

Loquendum est prophetis vniuersa quæ ego
præcipio.

Tu Ieremia eris mihi propheta.

Ergo tu Ieremia loqueris quæ ego præcipio.

III.

ARgumenta animosiozem reddentia, & consolantia
Ieremiam, ne timeat sibi in suscepto officio.

N

I. A facili,

I. *A facili, siue Iehouæ præsentia: TECUM
SVM.*

Qui me Iehouam præsentem habet, non timet.
Tu Ieremia me Iehouam præsentem habes.
Ergo, tu Ieremia non timeas in hoc tuo munere.

II. *A IEHOVÆ auxilio siue possibili. ERIPIAM
TE.*

Cui ego IEHOVÆ auxiliator, non habet quod
timeat.

Tibi IEREMIA ego IEHOVÆ auxilia-
tor.

Ergo, tu IEREMIA non habebis quod timeas
in hoc tuo munere prophetico.

III. *A veritate & potentia IEHOVÆ. DIXIT
IEHOVA.*

Quæ ego IEHOVÆ dico, vera sunt, & possum
illa præstare.

Ego IEHOVÆ dixi tibi IEREMIA: TE-
CUM SVM, ERIPIAM TE.

Ergo IEREMIA vera sunt illa verba mea, ac
possum præstare.

INDE.

Quo cum ego IEHOVÆ sum, quem eripio,
ille non timet.

Tecum IEREMIA sum ego IEHOVÆ,
atq; eripiam te.

Ergo IEREMIA non timeas.

Et per consequens, Non recuses hoc officium, te
non excuses, non relucteris IEHOVÆ volenti, eli-
genti, iuvanti ac eripienti te.

Non

V.

Non igitur locum haberent obiectiones, si quas Ieremias metus causa obtulisset, quales potuissent esse.

I. A tyrannide regum & populorum.

Metuens violentiam regum & populorum, est impar muneri prophetico.

Ego Ieremias metuo violentiam & tyrannidem regum & populorum.

Ergo ego **IEREMIAS** sum impar muneri prophetico.

II. A mandatis & oneribus ipsorum durioribus.

Metuens mandata & onera duriora regum & populorum conscientiam aggrauantia, muneri prophetico præficiendus non est.

Ego **IEREMIAS** metuo mandata & onera duriora regum & populorum.

Ergo, Ego **IEREMIAS** muneri prophetico præficiendus non sum.

III. A vestigijs quibus potuisset terreri.

Metuens supplicia ad quæ rapti fuerunt suæ farinae homines prophetae diuinitus ordinati, impar est isti muneri subeundo.

Ego metuo supplicia quibus affecti prophetae.

Ergo ego **IEREMIAS** sum impar muneri prophetico subeundo.

N 2 Sequitur

Sequitur


ΣΥΝΟΨΙΣ ΔΙΑΛΟΓΙΣΜΟΥ

PRIMI CAPITIS PRO
PHETIÆ IEREMIÆ, VSVM

*præceptorum, tam Dialecticorum
quàm Rhetoricorum, oculis
subiciens.*


I.

CAUSÆ.

ausarum consideratio diligens, accurataq̃
inuestigatio, vt lumen rebus solet afferre:
ita dextræ illarum tractationi plurimum
addit emolumentum. Ideoq̃ nos causis prius
ex hoc capite sedulo conquisitis, cætera pro genuino
illius intellectu non parum facientia, ordine subiici
amus.

Causæ

Cause, quas nobis in utraque ueluti libræ lance pensitadas, obtrudit 1. Ieremiæ caput, de ipsius ad munus propheticum uocatione asgens, sunt hæ potissimum,



N 3

ARGV4



II.
ARGVMENTVM CVM GE-
NERE DICENDI.

Ieremias filius Helkiæ sacerdotis in Anathoth terræ
Beniamin, munus extraordinarium Propheticum,
ad quod immediatè à Deo vocabatur, agnita sua indi-
gnitate & infirmitate, subire humiliter recusat. Ve-
rùm ab ipso Deo, tum consolationibus & pollicitatio-
nibus, tum ^{τεκμηρίοις} confirmatus, ordinatus deinde ac
inuestitus, vocanti Deo obædit, & demandatam sibi
duram eamq; arduam prouinciam aggreditur.

Genus dicendi grande est, utpote diuinum, Ieho-
uæ eiusq; Oratoribus conueniens.

III.
GENVS CAVSÆ ET
STATVS.

Vocatio Ieremiæ ad prophetandum respicit sta-
tum generis Iudicialis Coniecturalem; quia agit
de quæstione; Estne Ieremias vocandus ad munus
propheticum.

Respondet Ieremias: Non est.
IEHOVA: Est.

III.
STATVVM LOCI

Confira

I.

Confirmat Ieremias sententiam suam duabus ra-
tionibus,

1. A voluntate repugnante, ob agnitionem indignitatis suæ.
2. A facultate, Naturali impotentia, quam ex infirmitate infantia suæ colligit.

I.

Argumentum ex loco voluntatis.

Agnosens indignitatem suam, quamvis vocatus, meritò tamen renuit munus propheticum.

Ieremias agnoscit indignitatem suam.

Ergo Ieremias quamvis vocatus, meritò tamen renuit munus propheticum.

Nam.

Indignus non est præficiendus muneri prophético.

Ego Ieremias sum indignus.

Ergo, ego Ieremias non debeo præfici munere prophético.

II.

Alterum argumentum à loco Facultatis, quod est minoris, argumenti prioris, probatio.

Qui nescit loqui, est indignus ad subeundum munus propheticum.

Ego Ieremias nescio loqui.

Ergo, Ego Ieremias sum indignus ad subeundum munus propheticum.

Minorem

*Minorem hanc vicissim ab agnitione infirmitatis
sue, quam ex sua infantia colligit,
confirmat.*

Pueri nesciunt loqui.

Ego Ieremias sum puer.

Ergo, Ego Ieremias nescio loqui.

*Et per consequens, indignus sum tanto munere, nec
in facultate mea est, idem subire.*

*Hæc argumenta ex humanæ rationis iudicio colle-
cta, coram hominibus satis firma essent; Sed videamus,
quomodo Iehoua ea refutet.*

II.

Repetatur status.

*Estne Ieremias vocandus ad munus extraordinarium
propheticum?*

Respondet Iehoua, Est.

Rationes adducit.

1. A sua diuina voluntate.

2. A facultate, sua omnipotentia.

I.

Prioris loci, voluntatis scilicet, argumentum tale est.

*Voluntati IEHOVÆ, licet obstante pueritia, est
obtemperandum.*

Ego IEHOVA volo vt Ieremia sis propheta.

*Ergo Ieremia, licet obstante pueritia, mihi ob-
temperes.*

HINC

*Voluntati diuinæ obtemperaturus, non dicit P V-
ER SVM.*

Tu Ieremia obtemperabis voluntati meæ.

Ergo, tu Ieremia non dicas PVER SVM.

INDE.

INDE.

Licet quis colligit naturalem suam impotentiam ex infirmitate infantiae, necesse tamen habet, ut ad omnia, ad quae IEHOVA eum missurus est, eat, & vniuersa sibi ab eodem mandata, loquatur.

Tu Ieremia, licet colligis naturalem tuam impotentiam ex infirmitate tuae pueritiae, ad omnia tamen, ad quae à IEHOVA mittèris, ibis, & vniuersa, quae tibi mandabuntur, loquèris.

Sine ab honesto.

Decet puerum ire ad IEHOVAE mittentis voluntatem.

Tu Ieremia es puer.

Ergo, te Ieremia decet ire ad omnia, ad quae mittet te IEHOVA.

Deinde à possibili.

Possibile est puero à IEHOVA mittendo, vniuersa, quaecunq; ipsi mandabuntur, loqui.

Tu Ieremia es puer à IEHOVA mittendus.

Ergo, tibi Ieremiae possibile est, vniuersa, quaecunq; tibi mandabuntur, loqui.

Hoc primo argumento reiicit IEHOVA posteriorem Ieremiae rationem, à loco Facultatis, siue naturali impotentia desumptam.

II.

Posterioris loci, facultatis videlicet argumenta, quibus IEHOVA Ieremiam à sua omnipotentia consolatur, eiq; timorem ob indignitatis agnitionem, ab ipso conceptum, eximit, haec sunt.

O I. A IE.

*I. A IEHOVÆ presentia, siue facili: TECVM
SYM.*

Qui IEHOVAM presentem habet, non timet
à facie regum, principum & sacerdotum, &
populi terræ Iuda.

Tu Ieremia me IEHOVAM presentem ha-
bebis.

Ergo Ieremia ne timeas à facie regum, princi-
pum, sacerdotum, & populi terræ Iuda,

INDE.

Non timens, sed IEHOVAM secum habens,
administrare munus propheticum facile po-
test.

Tu Ieremia non timebis, sed me IEHOVAM
presentem habebis.

Ergo, tibi hoc munere administrando nihil erit
facilius.

*II. A IEHOVÆ auxilio, siue possibili: ERIPIAM
TE.*

Quem ego IEHOVA adiuvo, non timeat quasi
demandatum sibi officium sit impossibile.

Ego IEHOVA te Ieremiã eripiam & adiuuabo.

Ergo, Ieremia non timeas, quasi demandatum ti-
bi officium sit impossibile.

HINC.

Officia possibilia non sunt recusanda.

Officium propheticum erit tibi Ieremiã possi-
bile.

Ergo propheticum munus Ieremia non recuses.

III. A veritate IEHOVÆ: DICIT.

IEHOVÆ dicta sunt veracissima, & talia in
quibus firmiter fidendum.

Iehova

IEHOVA ipse dixit Ieremiæ, Ne timeas, tecum sum, eripiam te.

Ergo hoc IEHOVÆ verbum veracissimum est, & tale cui firmiter fidendum.

INDE.

Confidens voci IEHOVÆ, non reluctatur, Ieremias confidit voci IEHOVÆ vocantis, Ergo Ieremias non reluctabitur, nec se excusabit.

Et per consequens subeat munus propheticum.

III. A potentia IEHOVÆ: IEHOVA.

IEHOVÆ omnia sunt possibilia, qui nolentem potest cogere, & imbecillo vires addere, vel nescientis linguam formare.

Ego sum IEHOVA, qui loquor tecum Ieremias.

Ergo, Ego IEHOVA possum te Ieremiam nolentem cogere, imbecillo vires addere, & nescientis linguam formare.

HINC.

Spem suam in eum ponens, cui omnia sunt possibilia, ille vocanti non reluctatur, nec excusat se, vel recusat munus sibi iniunctum.

Ieremias spem suam in eum ponit, cui omnia sunt possibilia.

Ergo Ieremias vocanti IEHOVÆ non reluctetur, nec se excusabit, vel recusabit munus sibi iniunctum.

III.

Argumenta confirmantia Ieremiam in hoc suo munere.

O 2 I. A

I. *A τεκμηρίω futuro: Duabus visionibus.*

Videns futura, eaq̄ de approbatione siue testimonio I E H O V Æ verissima, in munere suo confirmatur.

Ieremias videt futura duabus visionibus, eaq̄ de testimonio I E H O V Æ verissima.

Ergo Ieremias in munere prophetico confirmatur.

II. *A signo præterito: Vocatione & confirmatione iterata.*

Vocatus & confirmatus nunc vt antea à I E H O V A, & consolatione elogioq̄ diuino erectus, ad munus suum alacrior redditur.

Ieremias vocatur & confirmatur nunc vt antea à I E H O V A, & consolatione elogioq̄ diuino erigitur.

Ergo Ieremias ad munus suum alacrior reddatur.

III. *A signo præsentis: concionis primæ formula à I E H O V A prædictata.*

Concionis suæ primæ formulam ab ipso I E H O V A excipiens omnem formidinem in subeundo suo munere deponit.

Ieremias concionis suæ primæ ab ipso I E H O V A excipit & audit formulam.

Ergo Ieremias omnem formidinem in subeundo suo munere deponere debet.

V.

P A R T E S.

P Artes huius capituli cum earundem disputatione, subsequens monstrabit tabella.

SYNOPSIS

ren
nus
cum
din
duo
Qu

70-10



SYNOPSIS PRIMI CAPITIS IEREMIE.

1. *ἡ προφητεία*, titulus siue inscriptio libri, duas continens causas, quarum

1. Obiectum libri: Verba, Prophetia.
2. Efficiens instrumentalis, siue autor libri, de quo sacre literae tradunt tria.

1. Nomen: Ieremias.

1. Nomen: Hecias.
2. Officium: Sacerdos.
3. Sedes: Anathoth, ciuitas tribus terre Benjamin.

1. Tempus prophetie. Anno decimo tertio Iosie, Ioachim item filij eius, & usq; ad undecimi anni Sedechie, filij Iosie regis Iuda consummationem, usq; ad transmirationem Ierusalem, in mens: quinto.

1. Causa efficiens principalis libri: Verbum Iehouae factum est ad me, id est, Filius Dei.

1. Causa formalis, que est ipsa inauguratio persone uocate, ab au thoritate uocantis, ac consistit in ipsius diuina.

1. Omni scientia: Noui te prius quam te formarem.
2. Predestinatione: Sanctificauit te antequam exires de utero.
3. Electione ad munus extraordinarium: Dedi te Prophetam genibus.

1. Propositio, que est uocatio Ieremie ad ministerium, extraordinarium, in qua pensanda sunt duo.

2. Recusatio & excusatio Ieremie, qua attonitus uocationi illi opponit suam

1. Voluntatem ex indignitatis sue agnitione: Ah, ah, ah, Domine Iehoua.

2. Facultatem, id est, naturalem impotentiam, quam ex infirmitate infantie sue colligit: Ecce, nescio loqui, Quia puer ego sum.

3. Confirmationis literae continentis confutationem argumentorum Ieremie. Diluit enim Iehoua.

1. Posterius, opponendo ei suam uoluntatem, ut obstante licet pueritia, sue diuine uoluntati obsequatur in
2. prius, excutiendo ipsi timorem, ob indignitatis agnitionem, ab ipso conceptum, consolatione a facultate, hoc est, sua diuina omnis potentia sumta, sue nimirum

1. Presentia: Tecum sum.
2. Opus: Eripiam te.
3. Veritatis: Dixit.
4. Potentie: Iehoua.

1. Eundo quo mittetur.
2. Loquendo que sibi mandentur.

4. Ordinatio Ieremie ad ministerium propheticum, facta immediate per Iehouam.

1. Benedicentem ipsi in legitima uocatione: Mittendo manum suam.

2. Sanctificantem os ipsius in cognitione rerum diuinarum, & functione operis prophetici, tangendo os ipsius.

5. Inuestitura Ieremie concernens.

1. Parochiam d' *ἰουδα* auditores quales Ieremie designati

1. Gentes.
2. Regna.

2. Officij eiusdem obiectum inelusan habens, & eiusdem causam finalem. Est enim ei

1. Vaticinandum de poenis imminens tibus, uidelicet

1. Excidio Hierosolymae & totius regionis
2. Captiuitate Babylonica.
3. Poenis omnium gentium

- in uerbis: Euellas. Destruas. Disperdas. Dissipes.
- in uerbis: Aedifices. Plantes.

2. Consolatio adhibenda, de

1. Secutura liberatione harum poenarum tempore finito.
2. Reductione populi in patriam ad urbem Hierosolymam.

1. Virga uigilans, quam Iehoua ueram esse, promissione de sui uerbi custodia asseuerat.

1. Explicat, quod significat

1. Olla bulliens, Mala.
2. Aquila, Locum Gentes

unde illa mala.

2. Olla feruens a facie Aquilonis, quam Iehoua ipse

2. Confirmat historia reru futuraru, a suo ipsius uaticinio. Hic expens dantur.

1. Persona uaticinans: Iehoua ait.

1. Quis? Cognationes regnorum Aquilonis.
2. Quid? Venient. Ponent solum suum.

3. Vbi? 1. In introitu portarum Ierusalem.
2. Super muros eius in circuitu.
3. Super uniuersas urbes Iuda.

4. Quibus auxilijs? 1. Ecce ego Iehoua uocabo.
2. Ego loquar iudicia mea cum eis.

5. Cur? Propter malitiam eorum, quam specificat nomine. 1. Perfidia siue periurij: Dereliquerunt me.
2. Idolatrie

1. Suffecerunt dijs alienis.
2. Adorarunt opus manuum suarum.

6. Quomodo? Atrocitatem & uehementiam malorum exprimit uniuersalia
1. Omnes cognationes regnorum Aquilonis.
2. Unusquisq; ponent.
3. Super omnes muros in circuitu.
4. Super uniuersas urbes Iuda.

2. *ἡ διαλογία*, uocantis, cum Ieremia uocato, continent capitula sex. Quorum

6. *ἡ προφητεία* Ieremiam iam obituum sibi demandatam pro uinciam confirmans, alacritateq; redolentia, omnemq; ipsi formidinem eximit, sumta a tempore triplici, & quidem

1. Quis? Tu Ieremia.

2. Quid? specificat actionis

1. Industriam siue alacritatem.
2. Festinationem.
3. Formam

1. Verbum

1. Accinge lumbos tuos.
2. Surge.
3. Loquere que ego precipio tibi.

3. Vbi? ad eos scilicet.

1. In introitu portarum Ierusalem.
2. Super muros eius in circuitu.
3. Super uniuersas urbes Iuda.

4. Quibus auxilijs? Ego dico Iehoua, que ego precipio tibi.

5. Cur? Rationalis coniunctio ERGO, causam finale monstrat, tam ex prioribus, quam ex posterioribus: Ut uaticinetur de poenis imminens, & populo suo consolationem adhibeat.

6. Quomodo? Loquere omnia, que ego precepero.

- Accinge lumbos tuos.
- Surge.
- Loquere ad eos omnia que ego precipio tibi.

7. Quando? Iam in instante.

1. Vocationis formula: cuius circumstantie expendantur

2. Præterito: ab iterata

2. Confirmatio

1. Consolatione de sua presentia: Ecce enim ego dedi.

1. Amplitude: Dedi te hodie in urbem munitam.
2. Fortitudine in columnam ferream.
3. Præsidio: quod ipse sit futurus solidum & inexpugnabile munimentum terre Iuda

1. Regibus & principibus.
2. Sacerdotibus.
3. Populo.

3. Victoria ipsius erga hostes ratione sumta a sua presentia.

1. Autorem concionis: Et factum est uerbum Iehouae.
2. Concionatorem prophetam: Ad me Ieremiam.
3. Mandatum: Vade.
4. Personae ad quas abeundum & clamandum: In auribus Hierusalem.

1. Ipsa concio, cuius due sunt partes: quarum

1. Exordium habens encomium misericordie & charitatis sue erga populum, quem confert
2. Propositio malorum atrocitatem describens ob

1. Adolescentie. ob obsequium prestatum sibi in deserto, & terra que non seminatur.
2. Sponse

1. Personarum que deliquerunt qualitatem: Sanctus Israel Domino.
2. Obiectum circa quod deliquerunt: Primitie frugum.
3. Delicti ipsius magnitudinem & atrocitatem: In conspectu Domini.



<p>1770 1771 1772 1773 1774 1775 1776 1777 1778 1779 1780</p>	<p>1781 1782 1783 1784 1785 1786 1787 1788 1789 1790</p>	<p>1791 1792 1793 1794 1795 1796 1797 1798 1799 1800</p>	<p>1801 1802 1803 1804 1805 1806 1807 1808 1809 1810</p>
<p>1811 1812 1813 1814 1815 1816 1817 1818 1819 1820</p>	<p>1821 1822 1823 1824 1825 1826 1827 1828 1829 1830</p>	<p>1831 1832 1833 1834 1835 1836 1837 1838 1839 1840</p>	<p>1841 1842 1843 1844 1845 1846 1847 1848 1849 1850</p>
<p>1851 1852 1853 1854 1855 1856 1857 1858 1859 1860</p>	<p>1861 1862 1863 1864 1865 1866 1867 1868 1869 1870</p>	<p>1871 1872 1873 1874 1875 1876 1877 1878 1879 1880</p>	<p>1881 1882 1883 1884 1885 1886 1887 1888 1889 1890</p>
<p>1891 1892 1893 1894 1895 1896 1897 1898 1899 1900</p>	<p>1901 1902 1903 1904 1905 1906 1907 1908 1909 1910</p>	<p>1911 1912 1913 1914 1915 1916 1917 1918 1919 1920</p>	<p>1921 1922 1923 1924 1925 1926 1927 1928 1929 1930</p>
<p>1931 1932 1933 1934 1935 1936 1937 1938 1939 1940</p>	<p>1941 1942 1943 1944 1945 1946 1947 1948 1949 1950</p>	<p>1951 1952 1953 1954 1955 1956 1957 1958 1959 1960</p>	<p>1961 1962 1963 1964 1965 1966 1967 1968 1969 1970</p>
<p>1971 1972 1973 1974 1975 1976 1977 1978 1979 1980</p>	<p>1981 1982 1983 1984 1985 1986 1987 1988 1989 1990</p>	<p>1991 1992 1993 1994 1995 1996 1997 1998 1999 2000</p>	<p>2001 2002 2003 2004 2005 2006 2007 2008 2009 2010</p>



REVERENDO,
PIETATE, VIRTUTE ET
ERUDITIONE, PRÆSTANTI VIRO,

Dn. M. GREGORIO STRIGENICIO, aulico Illu-

stris. Saxonie Ducum ad Vinariam con-

cionatori, amico atq; fautori

suo carissimo.

S cum donorum Spiritus sacrosancti incre-
mento & abundantia. Prout, Reuerende &
Doctissime Domine M. fautor & amice,
omnibus honorum ac dilectionis officiis ac-
cumulande, gratum mihi fuit, quod tuis ex literis ani-
mi tui sententiam, de edendis primis tuis concionibus,
quas super primo Ieremiæ capite, pro felici & fausta
tui inauguratione, Vinariensis abs te aula, quæ Illu-
stris. Saxonie Ducum est, habitas, audiuit, intellexe-
rim; Ita certè dubium non est, quin gratior multò mul-
tis piis ac doctis viris ille sit futurus labor, tum ob eru-
ditam non minus quàm aptam rerum quas continent
dispositionem, tum rotundam, qua in iis tradendis
usus es, perspicuitatem; Gratissimus autem matri o-
mnium nostrum sanctissimæ iuxta & obseruandissi-
mæ Ecclesiæ, in cuius domo coram Sponso ipsius non
vacuus apparere cupis, sed cum talento apud te depo-
sito, quo ipsi foenerari, proximo inseruire studuisti, si-
stere te conaris.

O 3 Ad

Ad calcem autem earundem, quod meam ex illis concionibus tuis *οικονομίας*, cum tabella altera, totius istius prophetiae capituli dispositionem exhibente, addere constitueris, per me tibi quidem integrum est, modo tu Aristarchus sis, & tuo sub nomine isti meae opellae quid authoritatis accedat. Crasso tenuique filo sunt illae *σωόφεις* collectae, crassiore ut & valde contracto argumenta ipsa. Quoniam (quemadmodum optime nostri) puerorum ad captum accommodanda, in rebus quantumlibet grauissimis, verborum magnificentia carere oportet, ad institutionem modo illorum conducibilia esse debeant. Quando de verborum significationibus, structura ac *φράσεων* ratione agendum, interim res quiescant, necesse est: ut & in rebus cum iuuentus exercenda, ornatus non adeo spectandus. Requirit hoc Dialectica breuitas, postulat illud Grammatica perspicuitas. Vtrumque cum paucissima, & praesertim ex tenerioribus ac minus exercitatis sint ingenia, quae simul & semel apprehendere queant, in docendo simul proponere, prohibet fides, dissuadet dexteritas.

Ceterum quem in eorum editione ordinem maxime obseruari, saluo tamen omnino tuo iudicio cum censura, quae his insita est literis, exhibet scheda.

Bene vale corpore animoque cum omnibus tuis, quae tecum, ut umbra alarum suarum protegat, qui nobis angelos ministros & custodes adiunxit, ardent
ter

ter oro. Tu sicut cœpisti, me posthac in ære tuo esse
patere; Me vicissim *τετραγωνον*, qui te cum omnibus tuis,
suis semper in oculis, inq; sinu sit laturus, re ipsa expe-
riente. Iterum vale, Mariæbergæ 8. Calend. Nouemb.
Anno Gratia 1583.

T.

γνῶσις

*Abraham Beuther, scho-
lae ibidem Rector.*

FINIS.



ERPHORDIÆ

Ioannes Pistorius excudebat.

M. D. LXXVIII

47

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the middle of the page.

F I N I S



ERPHORDIAE

Ioannes Pistorius excudebat.

M D C L X X I I I







153 134

AB: 153 134

ULB Halle 3
002 386 011




58

Juli 2.

45 02





DIS

ΣΥΝΟΠΤΙΚΗ

CONC

resolu

ΣΥΝΟ
PRIMI

PHETIÆ I

CEPTO

oticor

M. ABR

R



18

NO
RÆ

pl-62

pl-06

